



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Clara De Monte Falco V. 17. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Aug.  
AM-  
ctum  
cum  
nletæ  
artyri  
ique  
ra ur-  
elun-  
  
sevi-  
vitâ,  
errena  
S.Pet.  
  
M.  
  
erator  
place-  
am ci-  
minas  
petum  
i atro-  
V LIA-  
in ho-  
ermani  
hic co-  
erabant  
m mit-  
k in sel-  
sed illi  
Ergo in  
gnandi.  
t & ex-  
pe-

17. Aug. VITÆ SANCTORVM. 401  
peditis è vinculis epulum triumphale struit. Ab  
hoc veteres iterum pugnas pugnant, inter viperas  
incolumes, inter omnia tormenta salvi. Illud JU-  
LIANÆ peculiare, è lupanari pudorem salvum  
asportasse, Angeli præsidio, qui luce insolenti,  
quotquot vim inferre Virgini meditabantur, om-  
nes excæcavit. Restituit tamen illa facinus dete-  
stantibus oculos, & post victos iterum ignes gla-  
dio cæsa novo more & spectaculo nunquam Ro-  
mæ viso cū Fratre Soror triumphavit. Ex Metaphr.

Tale viri Christiani Apostolus voluit esse convi-  
vium, ut magis fides Christi, quam prandii sagina  
comedatur; & plus reficiat hominem Dominici nominis  
frequens invocatio, quam epularum multiplex & copio-  
sa collatio, meliusq; pascat religio, quam sagina. S. Max.  
hom. 2. de Carn. Host.

## S. CLARA DE MONTE FALCO V.

17. Augusti.

Orculum videre te Cæli puta, quisquis Cor  
hoc CLARÆ vides tantâ verecundiâ Virgin-  
culæ, ut loqui aliter, quam vultu velato, religio-  
nem professio germano erubuerit, vulnus etiam à  
tali oculo timens, quid imò facinus non nisi lacri-  
mis expiandum rata imprudentem in somno pe-  
dem lectulo extulisse. Huic pudori tuendo no-  
tes pervigilavit; infandis flammis cilicia objecit;  
Cupidinem flagris, virgis & urticis terruit; ho-  
stem verò intestinum ultimâ fame domuit, lin-  
guamque ita frenavit, vel semel tantum, matris al-  
loquendæ gratiâ, silentium in vitâ fregerit. Huic  
virtuti insidias facturus Veterator Joannam soro-  
rem (vitæ tam sanctæ Magistræ) mentitus est,  
& virginitate in cum velo jussit exuere, ni vitâ vel-  
let

let exui. Sed rejectâ hâc adulterinâ sorore, vitæ doctor deinceps Christus successit. Hic modò CLARÆ vel è Matris sinu osculum, vel seipsum manibus suis cibum ferre, vel stipem mendicus auferre; modò Agnelli formâ castissimæ colludere, modò denique cum Cruce Sponsi habitu adesse, & locum huic in corde expetere. Atque tunc nobilem illam, & quam in grandi demortuæ corde admirabundus Orbis sp̄ec̄tavit, peractam cælaturam credimus, quæ præter ternos ejusdem inter se ponderis globos (nobile Sanctissimæ Triadis symbolum) omnia Sponsi patientis arma exhibuit. In nobis nil tale ideò Cælum sculpit, quia dura heu! nimis saxa gerimus. Ex monum. Eccl. Mont. Falc.

*Infige pectori tuo, cordi tuo signaculum Crucifixi; infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint. Nihil in his criminis reviviscat, nihil erroris resurgat.*  
Ambros. in ps. 118.

### S. AGAPITVS M. 18. Augusti.

**E**Tiam AGAPITI citius annos, qui XV. tantum fuere, quam pugnas numeres. Nervis enim primò dirissimè cæsus talēm se præbuit, ut Sparra suum diceret, nisi Prænestē sibi vindicaret. Mox in carcere quatuor diebus sine omni cibo degens suo succo, hoc est, cæli deliciis vixit. Inde iterum protractus vivos carbones in capite circumtulit, pulchrè ipso supplicio suo coronatus. Sub hæc vestibus spoliatus omnibus, adiuctam se jam expeditiorem credidit. Ab equuleo ex pedibus pendulus gavisus est è terrâ sublatum cælo se propriorem esse. Flagris pessimè acceptus nuditatem tunc domesticâ purpurâ texit, sanguine. Jam ubi fumum pendentri Antiochus præses subjecit, risit etiam hunc